

interim motum suum, quo viam rectissimam affectat, quantum in se est continuet, magnam vorticis partem citò transire debet, donec illum in superficie sua quasi perterebrans ex illo in alium atque alium abeat.

§. 15. Atque jam concludimus, quòd tale *sydus quod tam densis multisque maculis circumvallatum est, ut vortice & luce propria amissis aliena luce fulgere & ab alio vortice abreptum ex illo in alios divagari debeat, COMETA vocetur.*

§. 16. Productus hoc modo cometa non statim se nobis exhibet, sed tum demum cum in vorticem Solis in quo punctum illud quod inhabitamus quiescens circumfertur, descendit. Tum oculos mentesque nostras ferire, omnium vultus ad cœlos vertere, populos ad spectaculum convocare, plebémque vana superstitione turgidam magno timore percutere potest. Quia enim de suo clarus non est, sed tantum ad nos mutuatum lumen reverberat, si extra hoc nostrum cælum vagetur minus efficax illud lumen est, quàm ut visum nostrum afficiat; quippe corpora aliena luce solum conspicua nisi sub angulo satis magno videantur, visum nostrum effugiunt. Hic autem angulus ob nimiam reliquorum vorticum distantiam nimis coarctatus existit.

§. 17. Liquet autem ex his, quàm crasso præjudicio illi adhuc sint occæcati, qui sibi persuadent cometam tum demum generari cum nobis apparet, & in nihilum vel in principia sua dissolvi cum disparet.

§. 18. Neque tamen sub primo introitu, cum adhuc primos vorticis nostri gyros secat obtutui nostro se manifestat. Cujus ratio quamvis multiplex esse possit, attamen ut illam quæ absque profundiore philosophiæ cognitione, schematisque delineatione facile concipi possit, afferamus, imaginari nos facile posse dicimus, quòd Cometa corpus adeò vastum & solidum (ut ex antedictis per se patet) à celeriore motu, quem vortices in suis extremitatibus possident (juxta posit. 3.) in nostrum ejectus, copiosam vorticis illius quem deserit materiam in nostrum necessariò secum abripiat. Non aliter uti videmus naves satis magnas decursu fluminis vel vento multum concitatas, dum ex uno fluvio in alium celerrimè descendunt & utriusque  
commu-